HERCULIS CORAZZI

ABBATIS OLIVETANI

Publ. Analyſ. Profeſsoris, & Inſtituti Scientiarum Mathematici

ORATIO

Habita in Funere

EQUITIS

CAROLI CIGNANI

IV. Idus Junii MDCCXX.

CUM PRAESIDI OLIM SUO

Clementina Pictorum Academia Parentaret.

Patria ſublato tibi nunc, CIGNANE, parentat.

An Pictura ſuo funere moeſta dolet?

Eminentissimo ac Reverendissimo

S.R.E. CARDINALI

FABIO OLIVERIO

Hercules Corazzi
F.

QUi pictura delectantur, Princeps Eminentissime, nihil avidius quaerere solent, quam eorum artificum simulacra, qui supra ceteros excelluerunt; quod cum totus fere homo in facie sit, ex ea, tamquam in-

dice, animus ipſe quodammodo appareat, &, quantum quiſque valeat, intelligatur. Itaque ego cum audiſſem, te praeſtantiſſimorum pictorum tabulas, non tam poſſidendi, quam cognoſcendi ſtudio magnopere conquirere, vellemque aliquo modo tam nobili deſiderio navare operam, Caroli Cignani ſimulacrum tibi mittere ſtatui, ut egregia illius opera cum vultu componens, de ingenio tanti viri facilius judicares. Porro autem cum reputaſſem, non ita facile hominum vultus in tabulas deduci, malui ſimulacrum hoc ſtylo deſcribere, quam penicillo efformare, ea inſuper cogitatione, ut mores et animum luculentius introſpiceres. Quantumvis enim picturae artificio multa exprimantur, quae ceteroquin in animo latent, nihil tamen aeque hominem prodit, totumque exhibet, atque Oratio, ſine qua divinare quidem poſſumus, ſcire autem non poſſumus. Ac

ego

ego ita de me loquor, quasi vero aliquid dicendo possim. Equidem non dissimulo virium mearum imbecillitatem: veruntamen siquid valeo, totum eò contuli, ut Caroli Cignani simulacrum litteris consignarem. Hoc qualecumque sit, tibi se primum sistit, Cardinalis amplissime, tua petit auspicia, magnoque se nomine munit, ut in vulgus exire sine metu possit. Si tuo judicio probetur, nulla est tanta lux, quam ferre non possit; ne illam quidem verens Summi ac Sapientissimi Pontificis majestatem, ad quam certe sine auspice non accederet. Da hoc ingenio tuo artis tam mirificae studioso, ut voluntatem conatusque hominis valde infirmi benigne excipias; cumque ad Beatissimum Patrem proxime accedas, ejus animum aemulare, qui graphidem, picturam, statuariam singulari patrocinio complexus in antiquam restituit dignitatem. Ego

in-

interim mihi Superos propitios existimabo, siquid in hoc tam illustri argumento aut fecisse, aut cogitasse videbor, quod tanti Principis voluntati respondeat.

Bononiae x. Kal. Quinctilis MDCCXX.

ORA-

ORATIO

QUi patriae calamitates ita animo ſentit, quemadmodum decet bonum civem, facile intelliget, qua ego de cauſſa in praeſenti civitatis luctu vix vocem ac ſpiritum efferre poſſim, nedum ſolita dicendi copia, ſiqua modo in me eſt, infortunium longe maximum complorare. Obiit enim ſingularis vir, ſuique ordinis ſine controverſia princeps, Eques CAROLUS CIGNANUS, artis liberaliſſimae in hac urbe inſtaurator, quaſique parens, Academiae noſtrae lumen, totius demum Italiae, quam nominis ſui fama compleverat, ornamentum & decus. Quod ſiquis in tanta jactura non magnopere dolet, quando umquam, aut qua de cauſſa dolebit? Mihi certe, quocumque

que

que oculos converto, ita omnia triſtitiae plena videntur, ut parietes ipſi medius fidius in luctuoſiſſimam ſpeciem conformati, nos noſtrae jacturae moneant, & ad lacrymas tacite invitent. Quamquam quid ego ultra modum abreptus nimio dolori indulgeo? Quò abiit gravitas animi, atque conſtantia? Nihil ne Chriſtianus homo ab Ethnico differet? Quin illud potius cogitamus, hominem Superûm beneficio nobis commodatum ad Superos rediiſſe, ibique bene beateque conquieſcere? Morti profecto habenda gratia eſt, ſi per eam in caelos recipimur, Deum Optimum Maximum contemplaturi, eaque fruituri felicitate, quae una homine digna eſt. Quid igitur de Cignani morte conquerimur, qui certo ſcimus, & animos hominum eſſe immortales, & corpus ipſum aliquando futurum? Quod ſi poſſemus illum in hanc lucem lacrymis revocare, ego primus ingentes undeunde lacrymas excitarem, atque adeo, ut Menander ajebat, auro etiam compararem.

Verum

Verum enim vero cum id fieri nullo modo possit, quid juvat, mentes nostras inani molestia vexare? aut cur etiam non gratulamur, eum, perpetuis humanae vitae malis tandem liberatum, ad aeterna & immortalia bona pervenisse? Sed, ut probe sentio, eó spectant querelae nostrae, ut ingens detrimentum & publicis, & privatis rebus per ejus mortem importatum doleamus. Has scilicet curas, has cogitationes a nobis patria postulat, quae tum demum viriles erunt, si nos ad eam solicitudinem perducent, ut quam picturae gloriam multorum sibi annorum spatio Bononia comparavit, eandem sartam tectam conservemus, & in seram posteritatem industria nostra propagemus. Quare ego orationem instituam non prorsus quidem funebrem, sed mixtam ac temperatam, in cujus parte prima picturae difficultates ostendam; in altera de summo Cignani ingenio, ejusque praestantia verba faciam; in tertia demum quantum sit in hac arte momenti patefaciam ad eam laudem re-

tinendam, quae patriae noſtrae potiſſima eſt.

Siqua eſt ars, quae trahere homines in admirationem debeat, ſuique deſiderium commovere, ea certe pictura eſt, quae umbrarum ac luminum beneficio, quidquid eſt aut natura, aut arte factum, idoneis ac prope vivis coloribus imitata, in plana ſuperficie proprias cujuſque rei formas & habitus ita exprimit, ut quod pictum eſt, non pictum videatur, ſed quaſi appoſitum prominere. Verum quanto magis ſpectantium oculos rapit, tanto magis conniti debent, qui praeſtare in ea cupiunt, ut ad praeclariſſimum ſtudii genus, praeter naturale quoddam deſiderium, optimamque indolem peculiari divini Opificis munere inditam, multarum inſuper diſciplinarum cognitionem afferant; ex quibus conflata, atque compoſita, omnes omnino artes ſicut praeſtantia, ita etiam difficultate longiſſime ſuperat. Et ſane a Geometria, & Arithmetica intervalla, proportiones, ſimilitudines, diſſimilitudineſque partium

addi-

addiſcant oportet, quam Graeci συμμετρίαν dicunt, ita quidem neceſſariam, ut Pamphilus Macedo, qui divini Apellis praeceptor fuiſſe perhibetur, coſtanter negarit, quemquam poſſe ſine harum facultatum praeſidio perfectam, numeriſque omnibus abſolutam picturae notionem aſſequi. Adde his Opticen, unde luminum & umbrarum cognitio petenda eſt; adde Architecturam, unde modus atque ordo aedificiorum; adde demum proſpectus ſcientiam, unde omnis augendi, minuendique ratio, quae picturae anima quodammodo dici debet? Quid de Anatomico ſtudio dicam, quod noſtris artificibus adeo neceſſarium eſt, ut ſine certa menſura ac diſtributione partium effigies, alioquin admirabilis, ridicula ſit? Praetereo Hiſtoriam, omitto publica ac privata monumenta, nihil dico de antiquorum numiſmatum intelligentia, nihil de univerſa non modo praeteritorum eventuum & factorum, ſed morum etiam & conſuetudinum cognitione. Quid memorem veſtes & habitus variarum

gentium; quid multiplices templorum, altarium, sacrificiorum usus; quid theatrorum, balneorum, navium compositionem & structuram, ex quorum omnium scientia pingendi artificium efflorescit? Neque vero rem praeter modum augeo, siquidem, ut inquit Cardanus (lib. 18. de subt.) *pictorem omnia scire necesse est, quia omnia imitatur*. Ego certe quoties mecum ipse reputo singula & universa, quae in hoc spatio decurrentes praestare debent, vehementer mirari soleo, quomodo ingenia hominum, quae certis terminis, suisque limitibus circumscribuntur, brevissimo vitae nostrae cursu tot tantasque res, tam varias, tamque diversas complecti possint. Jam vero, ut aliquis se ita munierit, quemadmodum diximus, accedat ad tabulam: neque tamen putet, se tolerabile aliquid efficere posse, nisi prius mente ejus rei, quam pingere aggreditur, perfectam formam tenuerit, eamque diu multumque versaverit: quod ipsum cum fecerit, totam-

que

que compofitionem cogitatione complexus fuerit, tum vero manum expediat, neceffe eft, & Monogrammum quam rectiffime formet; in quo qui minus valet, jam de hujus artis gloria defperet, noftrifque fcholis vale dicat. Hic velim tantifper confideretis, quantae virtutis ac induftriae fit in minimo fpatio ingentem effigiem collocare, & flexu quodam totius corporis ita ftatuere, ut in planiffimo illo aequore tota, quanta eft, per fingulas partes confpiciatur. Nam membra omnia in anguftum compingere, deinde vero uniufcujufque dimenfiones propter temperatam luminum difpofitionem fimiles ac difimiles appofite oculis exhibere, id vero ita femper arduum ac difficile fuit, ut plerique omnes dedita opera fcopulum hunc fibi vitandum effe cenfuerint. Ex quo recte confequitur, maxime neceffariam effe luminum cognitionem, quae graphidem ita perficiunt & abfolvunt, ut per ea figurae non adhaerere, fed extare ac prominere videantur. Quo

quidem

quidem loco regnat ac triumphat pictoris excellentia, cujus praecipuum munus est ita pingere, ut quemadmodum scalptor materia ipsa, is luminum distributione simulacra rotundet. Sed ingentes, quas numeravimus, ac periculorum plenas difficultates ingeniosus pictor superet, quid deinde censetis? Oleum, ut dicitur, atque operam misere perdidit, nisi apte congruenterque colores inducat. Hinc enim illa rerum veritas, hinc anima & spiritus, qui spectantium oculos mentesque rapit, & in errorem etiam aliquando mira similitudine inducit. Nunc vero sicut nullum coloris genus est, quod ipsum per se vel minimam partem naturalium rerum referre possit; ita singulorum colorum singulas proprietates ac vires probe intelligere, & quomodo recte misceantur ac temperentur, ut similitudinem rerum, quantum fieri possit, assequantur, percipere difficillimum est. Omnes homines sumus inter nos vultu dissimiles, atque adeo unus & idem pro

aetatis

aetatis varietate, fortunae, conſtitutionis diſſimilis ſibi: quanta debet eſſe pictoris virtus, ut aetatem omnem, habitum, conditionem colore imitetur; quanta ut gradus rerum alioqui ſibi ſimilium diſtinguat; quanta ut colorem eundem rebus diverſis appoſitum vario modo conformet, & ad minima uſque diſcrimina attenuando, miſcendoque adducat! Haec porro omnia vel in re una pingenda artificem torquent: quid cum multarum compoſitionem referre in ſua tabula juſſus erit? Quantum valeat inveniendi arte neceſſe eſt; quam foecundo abundet ingenio; quam acri judicio polleat, ut egregium aliquid famaque dignum effingat, varietque modis illis, qui vetuſtati novitatem tribuant, multaque ſine confuſione ſignificent! Ego vero video jam mihi verba deeſſe, quibus maximam, quam animo ſentio, hujus artis difficultatem explicem. Vos igitur appello, praeſtantiſſimi Academici, vos ſapientia & auctoritate veſtra confirmate, quam ſit operoſum hiſtoricam

actio.

actionem mente concipere, conceptam penicillo explicare, varias imagines suis locis ponere, omnes in finem certum ordinare, ut nulla sit otiosa, nulla temere sita, nulla aut invenusta, aut illiberalis, aut frigida, aut incondito aliarum rerum numero oppressa. Illa vero quantum negotii facessunt? tabula una est; hic tamen & animalia statuere debes, & regiones, & aedificia, & viros, & mulieres, & pueros; hunc toga ornatum inducere, illum chlamyde, alium nudum, alium seminudum; sint oportet aliqui stantes, sint qui sedeant, qui nitantur, qui doleant, qui laeti sint; nihil tamen in tanta varietate a naturali positione discedat, sed omnia sint ejusmodi, ut te peritissimi viri naturae imitatorem agnoscant. Vestibus etiam sua inest, & quidem maxima difficultas, si velis ita fingere, ut earum sinus, flexionesque sine perturbatione decurrant, ut latentia membra ubique significent, ut ex se ipsis facile ac sine labore prodeuntes, ita potius natae, velut rami ex arbore, quam

quam factae videantur. Siquid vero desiderari in pictura potest, is motus, & sermo est; quae duo si adessent, jam nihil ars a natura differret. Attamen ne his quidem tabulae nostrae carere debent, & quamvis sermonem nullum edant, motum quidem certe ita debent ad vivum exprimere, ut quod olim in mimicis saltationibus accidebat, ex motu sermo quoque intelligatur. Qua in re ne sua quidem pictoribus miracula desunt, cujusmodi fuit Paris Alexander ab Euphranore pictus, (Plin. l. 34. c. 8.) qui uno eodemque tempore & judex Dearum, & amator Helenae, & Achillis interfector ob insignem motus significationem apparebat. Universe autem motus a re, quae describitur, cave dissentiant. Puellam pingis? Gestus omnes venusti, formosi, verecundi sint. Adolescentulum? Jucundiores. Virum? Graviores. Senem? Tardiores. Uno verbo singuli suas cupiditates, suos animi motus, suos mores non obscure praeseferant. Neque vero cum tantum

 sit in

ſit in motu ſignificando momentum, quietis ſignificatio facilis eſt, & cuilibet obvia. Hoc ſcilicet miram declarat artis hujus noſtrae abditamque virtutem, quod ne cadavera quidem ipſa motu omni, geſtuque carentia, niſi a praeſtantiſſimis ingeniis effingi poſſunt. Mirabile dictu eſt, ſed tamen verum, tantam in eo curam induſtriamq; requiri, qui membra exanguia, languida, cadentia, profligata nobis oſtendere velit, quanta eſt in eo, qui animam, animaeque functiones probe apteque declarat. Quî porro id fiat, facilius eſt intelligere, quam explicare. Haec cum ita ſe habeant, quem virum fuiſſe Cignanum exiſtimatis, quo ingenio, qua experientia, quo acumine, quanta item confidentia ſui, qui ad haec nihil territus, artem difficillimam arripuit, & in ea non modo excelluit, ſed ad extremum uſque ſpiritum, ut ita dicam, dominatus eſt? Nihil hic referre attinet, aut quanta majores ejus cum Florentiae, tum Bononiae nobilitate floruerint, aut hujus ipſius patriae digni-

tatem

tatem oſtentare; quae communia ceteris laudatoribus, & ad immerentes ſaepe traducta jam obſoleverunt. Id unum dicam, ea generis honeſtate Cignanum fuiſſe, quae cum optima inſtitutione conjuncta magnos indidit homini ſpiritus; eamque praeſtandi cupiditatem inſeruit, ſine qua ſane, nec tam mature gloriam ſpectaſſet, nec ad eam tam facile perveniſſet. Vultis enim, Auditores, pueritiae memoriam repetamus, & ab ipſo uſque ſemine totam hanc arborem quaſi metiamur? Deus immortalis, quantum huic ingenii benigne largeque tribuiſti; quantum etiam voluntatis, quae cum ingenio non facile copulatur! Puer adhuc picturae ſtudium cum naturaliter adamaret, majorum noſtrorum tabulas cupide contemplabatur, eorumque laudibus tamquam aculeis (ad imitandum ne dicam, an ad aemulandum?) vehementer excitabatur. Appulit ſtatim animum, ut liberales pueri faciunt, ad mitiores Grammaticae ac Rhetoricae litteras; quas tanta celeritate ac virtute arripuit,

ut jam tum conjiceretur, quamcumque se in partem dedisset, insignem futurum, ceterosque omnes longo intervallo superaturum. Neque tamen obscurum erat, quo duceretur naturae ipsius studio, ac propensione, qui saepe calamo plura pingeret, quam scriberet. Ut didicit porro litteras, secutus vim ingenii sui; primum Jo. Baptistae Cairi ludum frequentavit; deinde Albano nostro totum se dedit, apud quem luculenter ostendit, qualis quantusque futurus esset. Quamquam vel tum maximus erat cum aliorum judicio, tum vero maxime peritissimi Magistri testimonio, qui Carolum non discipulum haberet, sed socium, & sineret unum iisdem tabulis manum adhibere, in quibus ipse versaretur. Hujus rei fama longe lateque diffusa non vicinas modo urbes, sed longinquas etiam pervasit, interque has Labronem implevit, quò flagitatus cum venisset, multa egregie pinxit, sed in primis Judicium Paridis, cujus operis virtutes, ut satis digne laudentur ex Cignani offici-

officina exiſſe dicantur. Ex eo tempore patriae reſtitutus, tantum apud omnes exiſtimationis & famae acquiſivit, ut praeſtantiſſimum pictorem cum dicerent, ipſum nominarent. Virtutem hanc tantam, ſeſe in dies magis efferentem, cognovit in primis Bononiae Legatus, atque adeo parens optimus, Hjeronymus Cardinalis Farneſius, qui partem atrii Palatii publici ab eo pingi voluit; quae quidem dum permanebit, divinam artificis induſtriam univerſo terrarum orbi teſtabitur. Poſt ab eodem Principe, cujus ſapientia vel ex eo ſatis apparet, quod Cignani ingenium mature perſpexit, ab eodem inquam, ſui Palatii Pinacothecam Romae pingere juſſus, omnia fecit miraculo proxima. Inde regia prorſus liberalitate, doniſque ingentibus cumulatus in patriam rediit, ubi per ea ferme tempora, nequid cives noſtri alienis inviderent, quatuor loculos in templo noſtro D. Michaelis in Buſco artificioſiſſime pinxit, qui in illo quoque picturae theatro omnium in ſe ora convertunt, & ubi

nihil

nihil eſt niſi mirabile, magnopere emi- nent. Vix eos detexerat, oculis ac judiciis ſubjecturus, cum agmine quaſi facto, multi undique eó contendere; & ut alii alia, ita praeſertim profeſſores incredibile colorum artificium, umbrarumque diſtributionem admirati, uno conſenſu pronunciarunt, Carraccios, Guidum, Dominichinum, multaque ptaeterea Academiae noſtrae ſplendidiſſima lumina, ſupra ceteros cujuſque gentis ac memoriae pictores, id, quod eſt in rerum veritate perfectiſſimum, inveniſſe; eamque pulchritudinis imaginem ſingulari Dei munere detexiſſe, quae Romanas omnes, Venetaſque virtutes contineret, faſtigiumque ipſum attingeret; Cignanum vero id conſecutum eſſe tam inſigni conatu, ut nemo unus in pariete divinius colorata, nemo magis eminentia aut pinxiſſe umquam, aut pingere poſſe videretur. Haec vero, quae profecto admirabilia ſunt, aliquis ignarus rerum tantarum fortaſſe crediderit ad jactationem potius, quam ad veritatem

com-

comparata : verumtamen ibi dico, ubi locupletiſſimos teſtes habeo ; nec certe dicerem, ſiquis unus hac aetate eſſet, aut vero aliquando fuiſſet, qui cum illo hac in parte conferri poſſet. Quid igitur mirum, ſi non ſui modo cives, ſed principes Europae viri magno illum ſtudio proſequebantur, titulis ornabant, opibuſque propoſitis, ad ſe quiſque, invitabant? Sed ille, ut erat modeſtiſſimus, privataeque libertatis ac fortunae ſtudioſus, Auguſtiſſimae Farneſiorum Domui, quam praeter modum colebat, morem geſſit; ceteris ſe, quaeſita cauſſa non una, ut fieri ſolet, excuſavit. Sed qui carere ipſo coacti ſunt, non tamen ejus operibus carere voluerunt. Itaque & CLEMENTI XI. Pont. Max., & Magno Hetruriae Duci, & Poloniae Galliaeque Regibus, & Palatino Bavaroque Electoribus, & multis praeterea Europae Principibus eas tabulas miſit, quae tantis Dominis, eorumque deſiderio & expectatione dignae eſſent. Neque enim putetis, quod parietes tam mire coloraret, minus ali-

aliquanto in reliquis picturae generibus praestitisse. Eadem ubique coloris dignitas, idem spiritus, eadem in tornando dignitas; sed in uno superabat omnes, in reliquis cum peritissimo quoque decertabat. Qui de pictoribus dicunt, aut scribunt, in eo fere omnes consentiunt, ut singulorum opera recenseant, quaecumque maxime vulgo probantur: hoc me potissimum in praesentia solicitum habet, quod cum Cignanus nihil fecerit nisi optimum, ille unus, si viveret, optima ab optimis distingueret, suosque Maeonidas nobis ostenderet. Attamen de Fornice Foroliviensi tacere nequeo, de quo Italia tota per hos annos loquuta est, de quo nulla umquam silebit aetas. Sed quae copia dicendi tanta ejus operis praestantiam assequi potest, cujus sane, quemadmodum de Homeri poemate Plutarchus judicavit, singulae partes novum & inusitatum laudis genus promerentur? Hic ille se, suasque vires superavit, non quia solum totam ingenii vim loco tam nobili, & ad famam ido-

neo

neo exerendam putavit, ſed quod neque tempori, neque operae, neque labori pepercit, ut qua in urbe ſepulcrum ſibi, ducentibus fatis, ſtatuerat, in ea maximum ſuae virtutis monumentum conſtitueret. Utinam Blondus hiſtoricus, aut Gallus poeta viveret, ut ſuae patriae tantum decus, qua par eſt, orationis dignitate gratularentur! Quam cupide ac benevole immortalem hunc civem aſpicerent, non natum, ſed aſcitum, non fortuna, ſed virtute Forolivienſem; quam gratum illi animum ſignificarent; quot quantaque molirentur, ut tam illuſtris memoria rei in omnem poſteritatem propagata deſcenderet! Sed valeant illi aeterna pace compoſiti. Ego vero dulciſſimae patriae gratulor, quae praeclaris viris adeo redundat, ut ad alias quoque civitates ornandas mittat, totique Italiae praeluceat. Hac illa ſe cogitatione in praeſenti jactura ſolatur, oculoſque circumvertens, artifices ubique videt ad Cignani gloriam ſuccreſcentes, nonnullos etiam ejus aemulos, totaque Europa nihilo ma-

jori fama celebratos. In vobis, lectissimi Academici, in vobis, inquam, moestissima patria conquiescit, vestram fidem implorat, vos tacite deprecatur, ut suae dignitati, quemadmodum facitis, sine intermissione consulatis. Cujus precibus finite me adjungere meas, qui ut cum maxime cupio, pristinum decus a vobis retineri, & siquidem crescere ullo modo potest, quotidie magis amplificari. Ego enim cum ab adolescentia longinquas regiones peragrarem, audivi Bononiam picturae magistram celebrari; ego hisce oculis vidi, quanto in pretio habeantur, quamque religiose custodiantur vel a barbaris nationibus pictorum nostrorum opera; ego saepe his auribus accepi, non eos modo, qui fama onusti occubuerunt, sed plerosque etiam eorum, quos hic adesse video, summis laudibus ornari: cujus rei memoria, identidem animo repetita, adhuc me suavissima delectatione complet, jubetque vobis eos stimulos addere, quibus tamen ultro currentes non indigetis. Cur enim

arbi-

arbitramini, Cignani nomen a nobis praedicari, nisi ut tantarum laudum amorem, & aemulationem in eos, qui superstites sunt, inferamus? In quo etiam vos ipsos praeeuntes sequimur, qui illum, dum viveret, perpetuum Academiae Principem extra ordinem creastis, cujus domum tamquam picturae sedem frequentastis, cujus simulacrum in novo Scientiarum Instituto ad gloriae incitamentum collocastis. Colligite tantisper animo veterum saeculorum memoriam, quibus majores nostri, nullo prorsus nisi suae industriae adjumento, tantam sibi pingendi laudem compararunt: inde vero reputate, quodnam futurum sit posterorum de vobis judicium, si tot praesidiis neglectis, quae vobis hac aetate parata sunt, non admodum proficietis. Nihil profecto vos artis difficultas movere debet, ad quam superandam & CLEMENTIS XI. Pontificis longe omnium maximi beneficentia; & Eminentissimi ac honestissimi Curtii Origo Legati assidua contentio; & Excelsi Senatus pro-

 vi-

videntia; & Cómitis Ludovici Ferdinandi Generalis Marsilli, supra vetera exempla patriae amantis, liberalitas; & omnium ordinum suscepta de vobis cura opem contulerunt. Praeterquamquod nihil est tam difficile, quod patriae charitatem superare debeat, quae ad vos manus tendit, &, ut mihi videtur, ita excitat. Agedum quid cessatis dulcissima pignora? Quin damna nobis illata reparatis? Quin huic solo Cignani virtutem restituitis? Nihil ne vos ejus gloria movet, nihil honores, nihil opes per hanc nobilissimam artem comparatae? Ergo ne patiemini praeclarissimarum virtutum exempla intercidere, quae certe intercidant necesse est, nisi vos eorum simulacra effingatis, qui pietate, fortitudine, sapientia floruerunt? Quis natos meos majoresque vestros, si pictura deficiat, posteritati commendabit, quorum alii domi, alii foris illustres & Ecclesiam ornarunt, & me praeter omnes Italiae urbes felicissimam reddiderunt? Quis eorum praeclara gesta ante oculos

ponet

ponet imitaturis? Reſpicite, quaeſò, templa haec, publicas privataſque aedes reſpicite, quò tamquam ad Scholas aliquas tam multi undique ex omni natione conveniunt: numquid creditis aliis rebus, quam pictura invitari? Haec ipſa tamen artis veſtrae miracula aetati cedant aliquando neceſſe eſt, &, ut humana omnia, dilabantur: quod cum acciderit, nonne Dei atque hominum indignatio in me convertetur, niſi vos, niſi liberi veſtri, niſi nepotes pereuntia reſtituent, invidiamque fatorum egregie contundent? Armorum bellique gloria in Italia nata, una cum imperio gentium omnium vel intermortua, vel ſopita eſt; nec ſane poteſt niſi praepotenti Superûm auctoritate refloreſcere: at earum facultatum & artium, quae pacem ornant, palmam adhuc Itali retinent, nos vero Bononienſes, praeter illas picturam ferme totam. Haec noſtra eſt, tamdiuque erit, quamdiu vos veſtrae gloriae non poenitebit. Verum, quó me impetus dicendi rapit? Nihil

tam

tam dulce eſt, quam vox cariſſimae patriae; ſed vela contrahenda ſunt, ne nimis longe abiiſſe videamur. Ut vero in eo deſinat, a quo coepit oratio, ſic habete, Cignanum vobis a Superis datum; ut Magiſtrum haberetis, eundem vobis ereptum, ut ejus locum occupare certatim contenderetis.

Vidit

Vidit D. Augustinus Maria Alfieri Clericus Regularis Sancti Pauli, & in Ecclesia Metropolitana Bononiæ Pœnit. Rect. pro Eminentissimo, et Reverendissimo Domino D. Jacobo Cardinali Boncompagno Bononiæ Archiepiscopo, ac Sac. Rom. Imp. Principe.

Die 31. Maii 1720.

IMPRIMATUR

Fr. Th. Maria Caneti Provic. Sancti Officii Bononiæ.

BONONIÆ, M.DCC.XX.

Ex Typographia Rossi, & Soc. ad Vexillum Rosae, propè Studium. Superiorum permissu.